

in ejus favorem deponere, utpote in testem non vocatus. Teneturne nihilominus manifestare veritatem, eamque omni possibili conatu probare, v. g. rem exponendo judici, vel alteri, qui utiliter operam præstare posset pro tuenda Antonii innocentia?

R. Tenetur omnino. S. Thomas 2. 2. q. 70. art. 1. C. ubi ait: *Si testimonium requiratur ad liberandum hominem vel ab injusta morte, seu pœna quacumque, vel a falsa infamia, vel ab aliquo damno; tunc tenetur homo ad testificandum: & si ejus testimonium non requiratur, tenetur facere quod in se est, ut veritatem denunciaret alicui, qui ad hoc possit prodesse.* Pontas.

ROGATIONES.

Hæc vox *Rogationes* terminus est ecclesiasticus, ac tres dies precum publicarum immediate præcedentes festum Ascensionis Christi indicat. Initio sæculi non triduum hoc erat festivum. Usus Processionum his tribus diebus est antiquissimus. Tempore S. Mamerti, qui has processiones instituit, servabatur jejunium per triduum isthoc: at sensim ab hoc servore remissum est, & deventum ad solam abstinentioniam a carnibus; adeo, ut obligatio jejunii nostris jam temporibus penitus cessaverit, nec quempiam obliget sub pœna peccati.

CASUS I. Sigonius a non nullis mensibus ex Italia rediit in Galliam, comedit carnes tribus diebus rogationum, qui crederet, se comisisse peccatum, maxime mortale; moventibus autem sibi scrupulum, & peccati mortalis inculantibus respondit, in ipsa urbe Romana carnes manducari hisce diebus; neque ab Ecclesia unquam legem latam fuisse abstinendi a carnibus; & consequenter consuetudinem abstinendi a carnibus vigentem in Gallia tanquam meram devotionem habendam esse. Suntne hæ rationes legitimæ?

R. Sigonius, utpote sufficienter instructus de generali consuetudine observata in Gallia diebus rogationum abstinendi a carnibus, peccavit mortaliter agendo contra hanc consuetudinem, quæ originem suam ducit a lege ecclesiastica particulari, imponente obligationem abstinendi in pluribus diocæsis. Imo etsi nulla ejusmodi lex subsisteret, sufficit ad inducendam obligationem consuetudo generalis totius regni a pluribus jam sæculis observata juxta Sidonijum Apollinariem L. 5. Ep. 14. & Concilium Aurelianense I. anno 511. Pontas.

No.

NOTA. Sicut festa consuetudinaria non obligent sub peccato nisi interveniente auctoritate Episcopi, ita nec jejunia consuetudinaria in legem Ecclesiæ obligatoriam transire possunt sine assensione præceptiva Episcopi; quæ tamen non præsumenda, sed ex actis publicis legem uniformiter constituentibus vel supponentibus probanda est.

CASUS II. Rudolphus Episcopus jam ante aliquot annos statutum Synodale edidit, vi cujus omnibus diocæsanis jejunium imponitur tribus diebus rogationum. Monasterium autem quoddam situm in hac diocæsi, & exemptum a jurisdictione Episcopi non observat hoc statutum. Teneturne se conformare huic statuto? Et num peccant Religiosi mortaliter illud non observantes, sicuti peccarent non observando festa ordinata ab hoc Episcopo, aut violando interdictum latum ab Episcopo contra civitatem, in qua situm est monasterium?

R. Cum statuta Synodalia non censeantur esse facta, nisi dependenter a jurisdictione Episcopi, Religiosi exempti ab hac jurisdictione non tenentur ad observationem horum statutorum. Unde sequitur, memoratos Religiosos non peccare, si non jejunent diebus rogationum: interdicto autem se submittere, & observare festa tenentur vi juris communis; sic enim vult Concilium Tridentinum Sess. 26. de regul. & monialibus c. 12. Ubi tamen non fit mentio similis obligationis quoad jejunia particularia præscripta ab Episcopo; & consequenter ad ea non obligantur Religiosi exempti, nisi fundentur in consuetudine antiqua & generali totius Provinciae, quæ in hoc casu haberet vim legis juxta Sylvium v. Rogationes I. Nihilominus omne in tali casu scandalum abesse necesse est. Pontas.

NOTA. Omnes regulares, quamvis quoad pertinentia ad disciplinam regularem per summos Pontifices non raro eximi soleant a jurisdictione Episcoporum; circa pertinentia tamen ad disciplinam clericalem vix unquam eximuntur ab Episcopo, cui in ordinatione jurant obedientiam. Jejunia autem extraordinaria pertinent primario ad disciplinam clericalem exemplarem, quando indicantur ob necessitatem publicam.

S.

SACERDOS.

CASUS I. Lucio cujusdam parochiæ vicario ignominiosissime insultant complures parochiani; quas quidem injurias ex consilio sui parochi patienter ferre paratus est. At vero

A a 3

unus

unus parochianorum hac ipsius patientia audacior factus modis omnibus indignissime ipsum habet, sustibus cædit, in terram prostratum hinc inde trahit, pedibusque in eum insilit, nulla ipsius culpa, & prorsus innocentem. Potestne, vel etiam tenetur in conscientia rem deferre ad judicem, ut fiantur hæc violentiæ? Potestne petere, ut puniatur author tantorum excessuum in suam personam commissorum, conservando nihilominus sinceræ charitatis affectum, & animum ad amicabilem compositionem dispositum, mox ut fuerit rogatus? Statuta in reum corporali apprehensione poteritne vicarius sententiæ petere executionem, ut ei, a quo injuriam passus est, terrorem incutiatur, & ad veniam exorandam inducat?

ꝑ. Potest persequi reum Lucius, parochusque tenebatur suscipere defensionem sui vicarii ad vindicandum honorem sacerdotii, impediendosque impofterum tam enormes excessus. Interim tamen ad conciliandam causæ huic majorem auctoritatem optime fieret, si imploraretur Episcopus, ut tanquam supremus negotii hujus moderator suo nomine castigationem delinquentis peteret. Cæterum nec parochus nec vicarius curare debent, quidquid homines ignorantes ac malevoli hac occasione obmurmuraturi sint. Scandalum si quod oriretur, certe foret pharisaicum, illud accipientium malitiæ adscribendum, nec ullo modo his duobus sacerdotibus impunitandum. *Fromageau.*

CASUS II. Polycarpus sacerdos nullam fere missæ sacrificio præparationem præmittens, inter meras plerumque distractiones illud celebrat, ac perraro actualem consecrandi intentionem habet. Num peccat? An quandoque etiam mortaliter?

ꝑ. Sacerdos hic omittendo præparationem, si per hanc intelligantur preces juxta Rubricas Missalis *pro temporis opportunitate* dicendæ, non peccat graviter; quia nullum extat præceptum recitandi determinate illas preces. Nihilominus si distractiones essent valde notabiles ac diuturnæ, eæque ex ipsa omissione hujus vel alterius præparationis durante missæ sacrificio orirentur, hæc omissio posset esse grave peccatum. Defectus intentionis *actualis* nullum prorsus est peccatum; quia juxta sententiam communissimam ad valide & licite consecrandum sufficit intentio mere *virtualis*. C. B.

CASUS III. Wolfgangus sacerdos latini ritus post consecrationem Hostiæ & Calicis advertit, panem a se consecratum esse corruptum. Quid ipsi agendum, si non amplius haberi possit panis azymus?

ꝑ. Li-

ꝑ. Licet ad valorem Sacramenti sufficiat panis triticeus, azymus sive fermentatus, ut definitum fuit in Concilio Florentino, tenentur tamen de necessitate præcepti sacerdotes Græci consecrare in pane fermentato & latini in azymo: hæcque obligatio adeo stricta est, ut neque ad audiendam missam in die festo, neque ad ministrandum infirmo viaticum liceat ab hoc ritu recedere. Unicum Authores excipiunt casum, dum scilicet quis post consecrationem & Hostiæ & Calicis deprehendit, panem consecratum esse corruptum; quia præceptum integrum perficiendi sacrificium est divinum, atque adeo prævalere debet alteri præcepto, quod tantum est ecclesiasticum. C. B.

CASUS IV. Mævius & Theresia dispensationem obtinuerunt, ut possint conjungi in matrimonium, tamen absque ceremoniis, tempore, quo ex lege Ecclesiæ nuptiarum solemnia interdicta sunt, elapso jam hoc tempore sollicitant sacerdotem quemdam, ut pro ipsis dicat missam *pro sponsis*, nuptiisque pro more benedicat. Licetne id simplici sacerdoti?

ꝑ. Neutiquam hoc licet: benedictio enim nuptiarum pertinet ad solemnitatem matrimonii, hancque impertiri est de jure illius, cujus est assistere matrimonio, proprii scilicet contrahentium parochi. Quapropter, nisi sacerdos hic fuerit specialiter ad id deputatus a parochi sponsum, pœnam suspensionis incurrit, latam a Concilio Tridentino Sess. 24. c. 1. & reservatam quoad absolutionem ordinario proprii parochi. C. B.

SACRAMENTUM.

1. Vox hæc, *Sacramentum*, varias significationes recipit; hic tamen solum agitur de Sacramentis novæ legis evangelicæ, quæ sunt septem, prout nos fides docet, nimirum Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, Eucharistia, Ordo, Extrema Unctio, & Matrimonium. Omnium horum Sacramentorum Institutor est Christus. Definitur Sacramentum novæ legis, *Invisibilis gratiæ signum visibile ad nostram sanctificationem divinitus institutum.*

2. *Materia* Sacramentorum consistit aut in rebus corporeis ac permanentibus, ut est aqua in baptismo, panis & vinum in Eucharistia, oleum in extrema unctione; aut in actibus sensibilibus ad proprium effectum per formam determinatis, ut est contritio & satisfactio in Sacramento Pœnitentiæ.

A a 4

3. For-

3. *Forma* consistit in verbis a Ministro prolatis, aut in alio signo verbis æquivalente. In primis sex Sacramentis necessaria sunt verba expressa; in ultimo, nempe matrimonio sufficit signum verbis æquivalens.

4. In quolibet Sacramento duplex distinguitur materia, *remota* scilicet, quæ est v. g. in Baptismo aqua elementaris; & *proxima*, quæ est applicatio aquæ, seu ablutio. In Sacramento pœnitentiæ materia remota sunt peccata pœnitentis, & proxima actus contritionis, confessionis & satisfactionis. In extrema unctione materia remota est oleum infirmorum; proxima, unctio facta a presbytero in corpore infirmi.

5. Mutatio essentialis materiæ aut formæ reddit Sacramentum nullum; non item mutatio tantum accidentalis.

6. Materia & forma in Sacramentis moraliter loquendo eodem tempore debent applicari, exceptis Sacramentis pœnitentiæ & matrimonii, in quibus longior, quam in aliis, mora temporis potest intercedere.

7. Intentio ministri absolute necessaria est, vel *actualis*, vel saltem *virtualis* conferendi Sacramentum tale & taliter, quale & qualiter Christus instituit, & Ecclesia solet administrare. Vide *Intentio*.

8. Dividuntur Sacramenta ulterius in Sacramenta *mortuorum*, & Sacramenta *vivorum*. Sacramenta mortuorum sunt ea, quæ primam gratiam conferunt iis, qui eam nunquam habuerunt, ut Baptismus; aut quæ primam gratiam de novo conferunt illis, qui ea per peccatum exciderunt, ut Sacramentum pœnitentiæ. Reliqua Sacramenta conferunt novam gratiam; in recipiente autem jam antecedenter requiritur status gratiæ.

9. Theologi tria potissimum in quolibet Sacramento distinguunt, videlicet *Sacramentum tantum*, *Rem Sacramenti tantum*, & *Sacramentum & rem*. Per *Sacramentum tantum* intelligunt Sacramentum, abstrahendo ab ejusdem effectu; Per *Rem Sacramenti tantum* ipsum effectum Sacramenti indigunt; & *Sacramentum & rem* intelligunt Sacramentum simul, & ejusdem effectum.

10. Sacramenta producant gratiam *ex opere operato*, id est, *ex vi operis* sine respectu ad merita ministri aut recipientis, dummodo digne recipiatur. Sic enim v. g. ad baptismum ab adulto digne suscipiendum requiritur actus fidei, sp̄s, & dilectionis initialis, non per modum meriti, sed per modum dispositionis congruæ. Præter gratiam habitualem & sanctificantem conferunt etiam gratias particulares

actua-

actuales pro necessitate eorum qui digne ea recipiunt: & ultra has gratias Sacramenta Baptismi, Confirmationis, & Ordinis imprimunt in anima characterem indelebilem, quo ab aliis distinguuntur, qui hæc Sacramenta non receperunt.

11. Omnes preces, omnesque ceremoniæ, ac ritus, quibus utuntur ministri Sacramentorum, ab Ecclesia eo fine instituti sunt, ut indigentur tum eorum effectus, tum dispositiones, quibuscum suscipienda sunt, ac obligationes, quas suscipientes contrahunt.

CASUS I. Reinaldus probe gnarus, Felicem parochum suum cujusdam criminis esse reum, in eoque perseverare, quærit an possit absque peccato ab ipso recipere Sacramentum pœnitentiæ, vel sacrae Communionis, & an possit etiam illum sollicitare pro illorum administratione?

5. Si parochus declaratus non est suspensus, excommunicatus, aut degradatus, sed in suo toleratur ministerio, potest Reinaldus absque peccato ab ipso suscipere utrumque Sacramentum; quia communicat Ecclesiæ, dum communicat ministro Ecclesiæ, quin partem habeat in peccato ipsius. Si autem parochus esset degradatus, excommunicatus aut suspensus, & sic non toleratus ab Ecclesia, peccaret Reinaldus ab eo recipiendo Sacramenta. S. Thomas 3. part. q. 64. art. 6. ad 2. Quod attinet secundum, Reinaldus in casu necessitatis absque peccato potest ad eum recurrere, sed extra casum necessitatis turum non foret in conscientia eum sollicitare ad obeundas Ordinis sui functiones. Nihilominus Reinaldus posset eum sollicitare pro administratione Sacramentorum, si ipsum prius vidisset gementem, suspirantem, lacrymas fundentem, aut percutientem pectus, vel alia pœnitentiæ signa edentem; ex quibus legitime inferri posset, eum esse conversum. *A ministro quantumvis malo*, inquit Sylvius in 3. part. Summ. D. Thom. q. 64. art. 6. licet communiter recipere & petere Sacramenta, imo & ipsum inducere ad ea ministranda, quamdiu toleratur ab Ecclesia; si ipse sit talis, utpote pastor, cui incumbat ex officio illa ministrare, petens autem sit parochianus: tunc enim qui petit, utitur jure suo, & petit rem bonam, quam alter potest & debet bene facere. Dixi communiter; quia si æque commode possit haberi Sacramentum ab eo, qui sine peccato ministrabit, ex charitate prætermittendus tunc est is, qui noscitur a peccato non recedere. Pontas.

CASUS II. Si Felix non esset parochus Reinaldi, sed solum confessarius illius ordinarius; possetne Reinaldus ab eo

A a 5

reci-

recipere Sacramentum, non obstante, quod certo sciat, eum constitutum esse in statu peccati mortalis?

3. Sylvius celebris D. Thomæ interpres loco supra citato existimat, quod si hic pæsbiter censura ligatus non sit, Reinaldus absque peccato ad illum accedere possit pro recipiendo Sacramento; dummodo 1. sit obligatus ad recipiendum Sacramentum, ut v. g. tempore paschali, aut sinistra ac periculosa valetudinis; 2. si non potest ad alium sacerdotem recurrere; & 3; si Felix actu sedet pro sacro tribunali penitentia. *Pontas.*

Vide *Absolutio. Confessio. Parochus.*

SACRILEGIUM.

1. Per *Sacrilegium* intelligitur abusus rerum sacrarum ad profana; sive dein ejusmodi usus ex natura sua fit criminofus, ut sunt sortilegia & incantationes; sive primum fiat criminofus ex ipsa applicatione rerum unice ad cultum Dei ac Religionis destinatarum ad profana. *Sacrilegium* est *violatio rei sacræ*, inquit Polmanus.

2. Tres potissimum enumerantur species rerum sacrarum. *Prima* comprehendit res ex sua natura sacræ, ut sunt Scriptura sacræ, & Sacramenta; aut quæ sunt consecratæ ac dedicatæ Deo ab Ecclesia in cultum ipsi ac Religioni debitum, ut sunt vasa sacræ, vestimenta ad ministerium Altaris destinata, aut quæcumque aliæ res, quæ ad decorem Ecclesiæ & exornationem templorum adhibentur. *Secunda* comprehendit personas sacræ, quales sunt sacris Ordinibus initiati, & Religiosi. *Tertia* demum species comprehendit loca sacræ, ut sunt Ecclesiæ, & Cœmeteria.

3. *Sacrilegium* committitur 1. per profanationem Scripturæ sacræ, & Sacramentorum. 2. Contumeliose tractando Crucem signum redemptionis nostræ, effigies Christi, B. Virginis, aut Sanctorum. 3. Indigne habendo sacræ Reliquias. 4. Ad usus profanos applicando sacræ vestes ministrorum Altaris, aut ornamenta Altarium & Ecclesiarum, aut res specialiter ab Ecclesia consecratas ac dedicatas Deo in contestationem cultus supremi ipsi debiti. 5. Percutiendo aut injuriose tractando via sacri Clericum, aut Religiosum vel Monialem; quo in casu incurritur etiam excommunicatio ipso facto. Committitur quoque *sacrilegium*, dum ejusmodi personæ religiosæ peccant contra castitatem vel dum alius in hoc genere peccat cum illis. 6. Denique

per

per indignum ac profanum usum altarium, ecclesiarum, cœmeteriorum, aliorumque locorum sacrarum.

CASUS I. Vitellus in ecclesia cuidam argenteum horologium furatus quærit, an commiserit verum *sacrilegium*, & num teneatur in confessione declarare, hoc furtum in ecclesia fuisse commissum.

3. Furtum potest fieri *sacrilegium* tribus modis; nimirum quando auferitur res sacræ in loco sacro; quando auferitur res profana in loco sacro; & quando res sacræ auferitur in loco profano. *Sacrilegium* committitur, ait Joannes VIII. Can. *Quisquis 21. 17. q. 4. §. 2. auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro.* Hinc Vitellus commisit verum *sacrilegium*; teneturque id declarare in confessione. *Pontas.*

NOTA. Licet in tali furto concurrat irreverentia erga locum sacrum; quia tamen est clandestina, non videtur excedere culpam levem, licet in specie furti sit peccatum grave.

CASUS II. Polycarpus per testamentum summam 150. florenorum reliquit pro fabrica ecclesiæ parochialis. Hæres autem ipsius interceptit testamentum, illudque combussit, ne teneretur solvere hoc legatum. Commisitne *sacrilegium* speciatim in confessione exponendum?

3. Generaliter loquendo, dum aliqua res legitime ad ecclesiam pertinens subducitur, est *sacrilegium*. Jam vero ecclesiæ parochiali acquisitum est jus proprietatis in summam legatam; & hinc hæres non potuit absque *sacrilegio* speciatim in confessione exponendo retinere hanc summam. S. Thomas 2. 2. q. 99. art. 2. C. *Pontas.*

CASUS III. Petrus in ecclesia spoliavit confessionale, abstulitque breviarium ac alios libros, quos confessarius ibi reclusos habebat. Petrus autem tenet sententiam eorum, qui negant, ad rationem *sacrilegii* sufficere, si præcise auferatur in ecclesia res quæcumque demum. An hoc non obstante Petrus per hoc furtum commisit *sacrilegium*?

3. Non commisit *sacrilegium*; quia in eorum sententia ad *sacrilegium* in furto ratione loci sacri committendum requiritur, ut res ablata directe pertineat ad ecclesiam; per accidens autem est, quod breviarium alique libri ablati in ecclesia fuerint asservati. Hinc Petrus per hoc furtum non commisit *sacrilegium*. C. B.

No.

NOTA. Sententia rationi conformior, communior, pro conscientia ac confessione securior est, quod omne factum in domo Dei perpetratum sit sacrilegium. *Qui monasteria & ecclesias infringunt*, ait Joannes VIII. Can. ad cal. 1. citato, & depeſita vel alia qualibet exinde abſtrahunt, velut sacrilegi canonica ſententia ſubigantur.

CASUS IV. Confessarius quidam existimavit, poenitentem quempiam commiſſe sacrilegium, eoquod in ipſo acceſſu ad S. Communionem alicujus peccati mortalis in confessione ex oblivione omiſſi recordatus, sacram Eucharistiā ſumpſerit, quin prius eliciſſet actum contritionis. Num bene ita ſentit confessarius?

ꝑ. Male ſic judicavit confessarius: ſi enim poenitens peccati ex oblivione omiſſi fuit recordatus eo tempore, quo non amplius poterat ſe ſubducere a ſacra menſa absque verecundia aut ſcandalo eorum, qui eum recedentem vidiffent, non tenebatur elicere actum contritionis; eoquod a peccato ex oblivione omiſſio indirecſte jam fuerat abſolutus. Si vero poenitens potuiſſet recedere a ſacra Communione absque ulla inconvenientia, ut poteſt contingere in multis circumſtantis, fuiſſet obligatus ad novam confessionem, ſolusque actus contritionis non fuiſſet ſufficiens. Ex quo ſequitur, opinionem hujus confessarii nunquam approbari poſſe. C. B.

CASUS V. Sacerdos quidam verba & ſententias ſacræ Scripturæ ſæpe adhibet in diſcurſu familiari, imo ad luſum & indecentes facetias. An committit sacrilegium?

ꝑ. Committit sacrilegium, ſi ſunt verba aut ſententiæ ſacræ Scripturæ formaliter tales, id eſt, quæ a Spiritu ſancto dictatæ ſunt. Gobat de plasph. c. 20. n. 720. Regin. Lib. 19. c. 4. n. 57. Culpa tamen non eſſet adeo gravis, ſi ejuſmodi verba aut ſententiæ contineantur quidem in ſacra Scriptura, ſed a proferente ex alio authore particulari, maxime profano deſumerentur.

NOTA. Licet unus vel alter actus ſic jocatorius non excedat culpam le- vem; habitus tamen ſic jocandi non eſt excuſandus a peccato gravi: actus enim frequentati in genere irreverentiæ, v. g. erga parentes, magiſtros, amicos, Superiores &c. coaleſcunt in objectum diſplicitiæ gravis, vel in contemptum interpretativum.

SANCTIFICATIO FESTORUM.

CASUS I. Advocati & procuratores pro clientibus ſuis quan-

quandoque plurimum occupantur diebus dominicis & feſtis. Num licite?

ꝑ. Occupatio eorum non cenſetur eſſe labor ſervilis, nec prohibita legibus divinis vel eccleſiaſticis. Accedit, quod ejuſmodi labor ſit probatus per conſuetudinem univerſalem & publicam, cui Eccleſia ſeſe non opponit. Nihilominus incumbit memoratis perſonis ſanctificare dies dominicos & feſtos, non ſolum audiendo Sacrum, id quod eſt ſtricte obligationis, ſed etiam erogando in pauperes partem lucri hiſce diebus percepti. *De Lamet.*

NOTA. Author potius debuiffet eos obligare ad audiendum verbum Dei in parochia propria.

CASUS II. In quadam communitate religioſa, ubi eſus carniū in perpetuum interdicitus eſt, Religioſus quidam quotidie ſub ſolis occaſum, ne dominicis quoque ac feſtis diebus exceptis, in præterſtaentem immittit reti ad capiendos piſces, altero die mane extrahenda. Num id licet?

ꝑ. Piſcatio quidem diebus feſtis ac dominicis eſt licita, dummodo non multum temporis aut laboris in ea collocetur; nihilominus tamen melius foret, ſi Religioſus iſte a ponendis retibus abſtineret diebus dominicis ac feſtis; licet ſatis graves rationes non ſuppellant ut peccaminofam condemnandi hanc conſuetudinem jam a longo tempore introduc-tam, nec aliunde præbentem occaſionem ſcandali. *Fremageau.*

Vide *Dominicæ & Feſta. Labor ſervilis.*

SARTOR.

In hoc titulo agetur & diſcutietur, quid Sartoribus circa conficiendas virorum & mulierum veſtes liceat vel non liceat.

CASUS I. Hubertus ſartor jam ab anno confecit veſtes muliebres in ea forma, ut pectus ad mamillas uſque videri & per hoc viris anſa peccati dari poſſit; a ſuo confessario admonebatur, ut a tali forma veſtium abſtineret. Ille vero re- poſuit, ſe a confectione veſtium talis formæ abſtinere non poſſe ſine magno ſuæ ſuſtentationis detrimento; cum ejuſ- modi forma veſtium ſit univerſalis. An tuta conscientia po- teſt pergere in confectione talium veſtium?

ꝑ. Dantur artes, quæ ſine peccato abſolute exerceri non poſſunt; cum ex ſe ipsis ac directe peccandi occaſionem præ- beant.

beant. Sunt autem & aliæ, quæ ex se ipsis ad peccatum non inducunt. Hinc S. Thomas 2. 2. q. 169. art. 2. ad 4. ait: *Siqua ars est ad faciendum aliqua opera, quibus homines uti non possunt absque peccato, per consequens artifices talia faciendo peccarent, utpote præbentes directe aliis occasionem peccandi; puta si quis fabricaret idola, vel aliqua ad cultum idololatriæ pertinentia. Siqua vero ars sit, cujus operibus homines possunt bene vel male uti, sicut gladii, sagittæ & alia hujusmodi, usus talium artium non est peccatum.* Ars Huberti est de hoc posteriore genere, ut advertit S. Beuve tom. 3. cas. 185. & vestes ab eo confectæ non impediunt, quominus puellæ ac mulieres possint alio modo contingere peccus, ad quod & tenentur. Hinc Hubertus potest absque peccato continuare exercitium artis suæ. *Pontas.*

NOTA. Qui ejusmodi modos vestium, Christianam modestiam positivè dedecentes, vel respectu multorum in vitia ex fragilitate humanæ naturæ proclivium propinquum periculum gravium peccatorum absque necessitate creantes inveniunt, vel inventos in morem introducunt, vel introductos sponte recipiunt, suoque exemplo confirmant; vel ubi prohibere possent, non prohibent, vel prohibitiones a Principe aut Episcopo factas non observant, sunt in statu peccati mortalis, &, nisi emendant, absolutiois incapaces.

CASUS II. Sergius sartor cuidam scemina nobili, ipsa petente, emit quindecim ulnas panni serici ad conficiendas vestes. In ipsa autem emptione advertit, unam ulnam non esse bene tinctam, hinc pro hac ulna mercatori detraxit a pretio totali unum imperialem, in confectioe vero vestium istam defectuosam panni ulnam intra plicas perbene occultare scivit, ut nec minimum quid adverteretur. An iste sartor pro sua industria præfatum mercatori deductum imperialem sibi servare potest?

3. Non potest: nam 1. Sergius erat mandatarius; mandatatum vero est officium gratuitum ab eo qui suscepit exhibendum. 2. Consideranda est intentio mandantis; in præsentem autem casu certum est, intentionem matronæ non fuisse, ut sartor ex commissa sibi emptione occultum pro se quærat lucrum. 3. Nec potest allegare sartor suam industriam, quam per se jam adhibere tenebatur ex munere mandatarii ac commissarii: non enim ex alia ratione ad emptionem panni matrona elegit sartorem, quam quia eum habiliorē aliis ac magis industriū credidit; & hinc industria & major notitia circa pretium rerum hujusmodi non potest separari a persona. *Pontas.*

CASUS III. Arnaldus sartor pro conficienda Hieronymo veste emit omnia necessaria pro 18. florenis. Sed cum in emptione multum temporis insumpserit, ac merces minori pretio obtinuerit, ac alias vendi solent, scripsit viginti florenos. Egitne injuste?

3. Arnaldus injuste egisse videtur, non obstantibus allegatis rationibus: nam 1. sartores apprime sciunt, quæ necessaria sunt, & norunt pretium mercium non minus ac ipsi mercatores; & hinc multo haud indigent tempore ad coemptionem. 2. Qui sartoribus ad ejusmodi negotium utuntur, non habent intentionem illis peculiariter solvendi impensum emendis rebus tempus; & sartor ipse ægerrime ferret, si illi, pro quo necessaria emit, innotesceret, se quidpiam pro emptionis industria ac labore retinuisse. 3. Mandans si sciret, sartorem pro emptione pretium exacturum, constitueret haud dubie alium, qui absque mercede emeret, vel ipse emeret. Verum quidem est, quandoque multum temporis infamendum ad emptionem mercium; in hoc autem casu potest sartor ampliore exigere mercedem laboris, nequaquam autem secreto quidquam sibi vindicare sub prætextu impensum temporis, aut majus rebus emptis assignare pretium, ac ipse expenderit. Id tamen sartoribus dandum videtur, ut, si necessaria ad vestes in maxima quantitate emerunt, possint aliorum mercatorum instar quidpiam lucri percipere, dum postea minutatim vendunt. *Pontas.*

CASUS IV. Christina nobilis matrona, cum ipsa mercatorem adire nollet, sartori commisit, ut pro conficienda veste quindecim ulnas panni attalici emit. Sartor recta pergit ad ipsam fabricam, ubi ejusmodi panni conficiuntur, & ipsis mercatoribus suppeditantur, ulna pro 11. libris, quam dein vendunt pro 12. libris. Sartor quoque ulnam recipit pro 11. libris. Potestne hoc lucrum sibi retinere, supposito, quod Christina pro ulna 12. libras numerare debuisset?

3. Videtur hoc lucrum inter fructus sartoris industriales numerari posse; eoquod Christina non adiiisset ipsam fabricam, & mercatori cuivis solvere debuisset 12. libras pro ulna, & insuper sartori ob notabilem distantiam fabricæ plus temporis insumendum fuerit ad emptionem. Nihilominus id lucri capere non posset sartor absque injustitia, nisi certus sit, eodem pretio vendi has merces in fabrica omnibus aliis mercatoribus. *Pontas.*

CASUS V. Jovius sartor solet retinere secamenta & lacinias ex panno residuas, easque vendere iis, quibus usui esse possunt. Peccatne? num tenetur ad restitutionem, et si
hujus.

hujusmodi lacinias retineat in compensationem temporis impensis ad emptionem panni & eo pertinentium?

g. Idem dicendum de Jovio, quod de iis, qui committunt furta minuta, & exinde ditefcunt. Jovius juxta Conferentias Condomienfes tom. 1. conf. 15. feft. 3. has lacinias retinere non poteft fine confenfu eorum, ad quos pertinent. Pontas.

NOTA. Refolutio dependet ab intentione rationabiliter præfumpta conducentis operam factoris. Si conducent potest & folet afferre lacinias in fines utiles, non cenfetur eas donare.

CASUS VI. Sebastianus rogat Matthiam factorem, ut factum adeat mercatorem pro emendo panno ad vestem conficiendam. Matthias ducit illum ad mercatorem, qui 40. erucigeros ultra summum pretium pro ulna exigit, quin Matthias se opposuerit; eoquod aut amicus aut debitor mercatoris eiset. Teneturne Matthias Sebastiano ad restitutionem?

g. Tenetur omnino cum mercatore ad restitutionem in solidum; eoquod damni causa existerit: annuendo enim precibus Sebastiani tacite se obligavit ad impediendam deceptionem ac fraudem mercatoris. *Dare alicui occasionem periculi vel damni, ait S. Thomas 2. 2. q. 77. C., semper est illicitum. Et rursus ibidem art. 1. C. Fraudem adhibere ad hoc, quod aliquid plus justo pretio vendatur, omnino peccatum est, in quantum aliquis decipit proximum in damnum ipsius. Pontas.*

Vide *Emptio* caf. 18. *Larvatus. Vestitus laicalis.*

SATISFACTIO SACRAMENTALIS.

CASUS I. Parochus quidam ruralis, ut parochianos suos alliceret ad frequentem confessionem, ipsis pro peccatis etiam gravissimis tantum injungit opera aliunde præcepta; v. g. auditionem Sacri diebus dominicis & festis. An bene agit?

g. Male agit iste parochus. Ministri Sacramenti poenitentiae juxta leges prudentiae Christianae semper debent injungere poenitentiam proportionatam gravitati peccatorum & qualitati poenitentis, ne, ut advertit Concilium Tridentinum, se reddant participes peccatorum alienorum, quibus sic conivere videntur. Quia autem hæc doctrina subverteretur, si motivum allucendi populum ad frequentem confessionem praxin hujus parochi redderet licitam, dicendum est, hunc modum agendi nentiquam probari posse. C. B.

CA.

CASUS II. Confessarius quidam Petro pro poenitentia injungit, ut singulis diebus dominicis per mensem audiat duo Sacra; Petrus autem ex mera negligentia interest quidem duobus Sacris, sed simul ac eodem tempore ad duo altaria celebratis. Num bene?

g. Petrus non satisfecit poenitentiae injunctae: licet enim quis satisfacere possit eodem tempore ac per unicum actum duobus præceptis, quando aliunde non constat de alia intentione præcipientis; nihilominus, dum de hac intentione constat, non potest satisfieri, nisi per distinctos actus distincto tempore positos. Quia autem confessarii ejusmodi poenitentias imponendo ordinarie habent intentionem obligandi poenitentem ad audiendas duas Missas distincto tempore, dicendum est, Petrum non satisfecisse duabus suis obligationibus, dum audit duas Missas simul ad duo altaria celebratas. C. B.

CASUS III. Franciscus matri suae ad extremam miseriam redactae dedit eleemosynas, quas vi poenitentiae a confessario injunctae distribuere debuisset in pauperes. Satisfecitne?

g. Non satisfecit obligationi suae; nam cum filius jure naturali teneatur necessariam sustentationem præbere matri suae, summa eidem data non habet rationem eleemosynae, sed persoluti debiti. Jam autem cum intentio confessarii non fuerit obligandi poenitentem ad aliquid, ad quod ex alio titulo tenebatur, certum est, Franciscum donando matri suae summam, quam in eleemosynas pauperum distribuere debuisset, non satisfecisse poenitentiae injunctae. C. B.

CASUS IV. Cajus, qui commisit plurima peccata gravissima, recusat in hac vita alia opera satisfactoria exercere, quam quae ipsi in confessione imponuntur. Potestne excusari a peccato gravi?

g. Potest: licet enim sit utilissimum satisfacere Deo pro suis peccatis per pia opera gratuita assumpta, non tamen existat præceptum ad id obligans; prout ex ipso Concilio Tridentino Sess. 14. de poenit. c. 8. colligitur, ubi solum dicit, satisfactionem vi præcepti esse necessariam, cum in Sacramento poenitentiae a confessario imposita. C. B.

NOTA. Obligatio vivendi in continua poenitentia etiam iustis imposita, an non potiori ratione respicit peccates?

CASUS V. Sejus per notabile tempus differt impletionem injunctae sibi poenitentiae; & eam tandem persolvit in statu peccati mortalis. An peccat graviter?

Dist. Caf. Conf. Tom. III.

1b

g. Pet.

R. Peccat graviter sine rationabili causa, ut supponitur, differendo injunctam poenitentiam: non tamen peccat eam persolvendo in statu peccati mortalis; sicut ille non peccat, qui in statu peccati mortalis recitat divinum officium, aut jejunat &c. C. B.

NOTA. Amplissimum est discrimen inter hominem, qui post relapsum serio a Deo petit veniam peccati sui, & eum, qui cum omni tranquillitate perseverat in peccato volens, absque omni proposito redeundi cum Deo in gratiam. Dein peccator semper peccat, ad minimum venialiter, quoties orat ad Deum pro remissione peccatorum sine attritione & proposito emendationis; ita tamen; ut non ipsa oratio, sed tantum omisso concomitans sit peccatum.

CASUS VI. Confessarius quidam Cajo pro poenitentia injunxit, ut quotidie per annum recitet Psalmum *Miserere*. Cajo acceptat quidem poenitentiam, sed eam non persolvit; putatque id fieri posse absque scrupulo; eoquod peccata illa emendaverit, pro quibus hæc poenitentia fuit injuncta.

R. Non potest excusari Cajo; quia hæc poenitentia est satisfactoria, utpote sola, quæ ipsi fuit imposita. Ex hoc autem titulo ea obligat semper; Sacramentum enim non debet frustrari una partium suarum essentialium. C. B.

NOTA. Ipsa actualis satisfactio est solum pars integralis Sacramenti. Satisfactio autem in voto, seu propositum implendi satisfactionem est pars essentialis.

CASUS VII. Petrus confitetur, se sæpius relapsum fuisse in idem peccatum; & confessarius pro poenitentia ipsi injungit recitationem integri psalterii cum obligatione recitandi rosarium quinque decadam toties quoties relapsurus sit in idem peccatum. Petrus rediens ad confessionem accusat se, quod ter omiserit injunctum rosarium. Teneturne omittas has preces supplere?

R. Non tenetur; quia rosarium in quemlibet eventum relapsus a Petro recitandum potius considerari debet tanquam remedium præcaventi peccato in futurum, quam ut poena pro peccatis præteritis. Hinc licet Petrus peccaverit non adhibendo præscriptum a confessario pro diminuendo peccatorum numero remedium, cum tamen finis, quem sibi confessarius præstituit, locum jam amplius habere non possit, certum est, poenitentem ad supplenda omittas rosaria non teneri. C. B.

NOTA. Cum confessarius sit non solum iudex, sed & medicus poenitentis, potest ac debet præcaveri relapsus in eandem ægritudinem per congruam medicinam, qualis est poenitentia conditionata peragenda

in casu relapsus; hanc si respuat poenitens, indignus est absolutio-
ne. Jam vero qui non curat relapsus, prout non curare censetur negligens media præservativa a confessario præscripta, neque curabit peccata committenda per neglectum horum mediolorum, si a confessario obligari non debeat ad supplendas omissiones. Ad hæc ipsæ poenitentia medicinales ac præservativæ participant de ratione poenitentia proprie satisfactoria ac vindicativæ, quæ intuitu earum plerumque solet alleviari.

CASUS VIII. Titius cum frequenter omittat poenitentias etiam notabiles sibi impositas, confessarius ipsi injungit poenitentiam gravem, vere tamen enormitati peccatorum proportionatam, & simul declarat, non nisi veniale peccatum fore, si eam non peragat. Num bene agit confessarius?

R. Confessarius licite sic agit: sicut enim exigente rationabili causa pro peccatis gravibus potest injungere poenitentiam levem; ita si ad bonum spirituale poenitentis conducere videatur, potest injungere poenitentiam de se gravem sub obligatione tantum levi eam peragendi. Ratio utriusque est; quia Sacramentum poenitentia ita institutum est, ut ejusdem minister credita sibi facultate ligandi atque solvendi eo modo utatur, quem pro salute poenitentis congruentiorem fore judicaverit. C. B.

NOTA. Poenitentiam gravem pro peccatis gravibus injunctam omittere ex mente Christi & ex ipsa natura Sacramenti peccatum semper grave est; quam Christi œconomiam subverteret confessarius, si poenitentem tantum sub peccato veniali obligaret ad peragendam poenitentiam gravem prudenter, ut supponitur, impositam, & ministerii sui potestate abuteretur; quia, cum graviter pro ratione criminum ligare ex commissa sibi dispensatione teneatur, leviter tantum ligat contra voluntatem Domini sui.

CASUS IX. Livius libenter vellet liberari ab injuncta poenitentia, quam acceptavit animo eam adimplendi. Potestne propria sua autoritate eam immutare? Num eam mutare potest alius confessarius, quin obliget poenitentem ad repetendam priorem confessionem?

R. Poenitens ipse eam immutare non potest. Ratio est; quia commutatio poenitentia est actus jurisdictionis, quæ certo convenire non potest poenitenti, etiam si talis commutatio fieret in melius. Confessarius autem potest ex rationabili causa poenitentiam ab alio confessario injunctam commutare in æqualem, aut etiam leviolem, si gravis id petat ratio cognita prius confessione facta priori confessario; neque per hoc talis confessarius exercet suam auctoritatem in primum confessarium, sed solum in poenitentem, qui se ipsi